

Petr. Gl.

RHEBINDER, Petrus. Calvinismus irreconciliabilis, seu Delin-
neatio caussarum, earumque applicatio ad Calvinismum, pro-
pter quas Josephus Halle, Exonienis episcopus Papissimum
censuit irreconciliabilem. Wittenberg, sumptibus Johannis
Bergeri, 1641. 4to. (titleleaf, 134 p.). Bound with: WIGAND,
Laurentius. Quaestiones vexatae, I An semper in forma syl-
logistica de rebus theologicis disputandum est ? II An
Christus tempore mortis verus homo fuerit ? III An Christus
profinali etiam imponitentia satisfecerit ? IV An peccatum
originis formaliter sit aliquid positivi ? Wittenberg,
typis Johannis Formanni, 1625. (52 (last blank) lvs). And:
LATERMANN, Johannes. Disquisitio theologica de gratia et
libero hominis arbitrio. Rostock, typis Nicolai Kilia, 1647.
(32 lvs). And: WITTENIUS, Iohannes. Themata philosophica,
de libertate voluntatis humanae in actionibus naturalibus.
Wittenberg 1608. (16 lvs). And: ODHELIUS, Ericus H. Dispu-
tatio theologica de tribus universalibus aeternae hominum
salutis causis: dilectione, redemptione, & vocatione Upsala,
imprimebat Eschillus Matthiae, 1648. (20 (last blank) lvs).
And: STALENUS, Laurentius Johannes. Disputatio theologica
de miraculosa primorum generis nostri parentum formatione,
deque, eorundem primaevae perfectionis statu incidenter sal-
tem & perfunctoriè considerato; in specie verò de imagine
Dei, ad quam primitùs sunt conditi. Upsala, imprimebat
Eschillus Matthiae, 1647. (12 lvs). And: MARTINI, Ericus,
Ericus MATTHIAE & Abrahamus MATTHIAE. Disputatio de baptis-
mo ex articulo nono Confessionis Augustanae. Upsala, impri-
mebat Eschillus Matthiae, 1648. (14 lvs) -C.15-

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



TM 0216

7 works in one vol.

d. i.: Joannis Hölschmann

d. i.: Balthasar Meissner

d. i.: Balthasar Meissner

d. i.: Laurentius Stigzelius

d. i.: Joannis Laurentius Leneens







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1019096624-17

DFG





DISPUTATIO THEOLOGICA
^{De}
Tribus Universalibus
ÆTERNAE HOMINUM
SALUTIS CAUSIS:

DILECTIONE,
REDEMPTIONE, &
VOCATIONE;

Absoluto Calvinistarum Decreto
OPPOSITA;

Ac

In Regia Universitate Upsaliensi,
SUB MODERAMINE
Admodum Reverendi ac Præcellentissimi Viri

Dn. LAURENTII STIGZELII

S.S. Theol. Doctoris perquam Eximij, ejudemq; Pro-
fessoris primarij ac Facult. Senioris & p. t. Decani;
Nec non Upsaliens. Ecclesiaz Pastoris Graviss.

Præceptoris sui plurimū
observandi;

In Nomine & Timore Dei publicæ ac piæ Collationi

PROPOSITA

Ab
ERIC O H. ODHELI O

Rev:da Facult. Theol. Adjuncto.
In Auditorio Veteri ad d. 1. Decemb. Anni 1648.

UPPSALIÆ,
Imprimebat Eschillus Matthiæ.





SERENISSIMÆ
POTENTISSIMÆ QVE
PRINCIPI AC DOMINÆ,
Dn. CHRISTINÆ
AUGUSTÆ,
REGNOR. SVECIÆ, GOTHIÆ,
ET WANDALIÆ
REGINÆ INVICTISSIMÆ,
MAGNÆ PRINCIPI FINLANDIÆ,
DUCI ÆSTONIÆ & CARELIÆ,
INGRIÆQVE DOMINÆ
&c. &c.

Reginæ ac Dominæ Meæ

Clementissimæ;

Gratiam D E I Perpetuam

Nec Non

Urberrimam Imperij Felicitatem!

¶
Serenissima Regina,

Domina ac Nutritia Clementissima,



Confidentius fortasse quam par est,
fecisse videbor, quod tantillæ lucubrati-
væculæ Augustissimum Nomen Tuum præ-
figere non fuerim veritus. Sed ego Gratiæ
tantæ, totq; Regiorum beneficiorum par-
ticipem me agnoscō, ut tūm demūm vel maximè peccare
mibi videar, si ullum studij mei, in primis Theologici, do-
cumentum exeat in publicum, in quo non Magnificentia
Tuæ pia Recordatio visatur. Stipendio enim Sereniss.
R:z M:tis T:z ordinario, quod Philosophica persequi stu-
dia potuerim, debeo: quodq; jam insuper Sacras Medita-
tiones ex professo accurare liceat, unicum est, per Divi-
nam Providentiam, idemq; immortale Tuum Beneficium.
Concordi namq; judicio ac Literis Præceptorum meorum
Reverendiss. commendatum me benignè suscepisti, novo
extraq; ordinem publico sumptu donasti, & Regiæ Gra-
tiæ præsidio juxta ac subsidio fretum voluisti, primūm
in patria hac Reg. M:tis T:z Universitate, (quæ jam eō Am-
plitudinis proiecta est Auspicijs Tuis, ut ei anteponendas
ne quicquam, difficulter pares querere foris liceat) ac de-
inceps in exteris studiæ excolere Theologica. Quibus cùm
ab iuventute ætate fuerim addictus, tanto alacrius quartum
jam annum Authoritate Regiæ M:tis Tuæ sacrum hoc studiū
pro modulo ingenij decurro. Quocirca Theologicam hanc

Dissertationem examini publico subiectatus, non videbam
quò justius ea referri posset, quam eò, undè auspicium ce-
pit & quicquid habet, quo publicè meruit extare. Cona-
tus autem hic sum Unum ex præcipuis Caput Hæresium Cal-
vinisticarum simplici qvidem stylo, at Divini Verbi robore
demoliri. Eftugia quoq; simul præcidere studiissem, nî
prolixitas fuisset studiosè vitanda. Nec ignoro enixè ab
hodiernis Adversarijs id agi, ut mitius quam Prædeceſſo-
res, imò nobiscum quandoq; sentire conspiciantur; peni-
tius tamen introspecta etiam adhuc infida videbitur socie-
tas: ut quæ cothurnis plerumq; nititur ac potissimum.
Sed alloquium supplex brevitas decuerit. Demitte jam
Serenissima Regina, Nutritia Benignissima, parumper
ex illo sublimium curarum Fastigio gratioſum vultum ani-
mumque ad exiguae pīj conatus primitias, apud Ser. R.M:is
T:æ pedes subiectissimâ gratitudine depositas, quas si Re-
gio Tuo favore digneris, ingentes adjicies stimulos menti
alioqui non desidi ad conficiendum studiorum curriculum,
Augusto nutu Tuo inchoatum. Cæterū.

Flos Regni, Patriæ S P E S, Religionis ASYLU M'
Inclyte, Felix, Augustum, Clue, Vive, Triumpha!

Majestati Tua

Subiectissimus

Alumnus

Ericus Odbelius.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1019096624-17

DFG

בָּשֵׁם יְהוָה צֹבָאָת אֱלֹהִי מִעֲרֻכּוֹת יִשְׂרָאֵל:

Disputatio Theologica

De

Tribus divinis ijsq; Universalibus

ÆTERNÆ SALUTIS Causis.

Ratio Instituti.

I.



Erbum Dei scriptis Propheticis &
Apostolicis comprehensum Eph. 2:20. ac
divinitus nobis ad consequendam vitā
æternam commendatū Ioh. 1: 19. 2. Tim. 3:
15. Iac. 1: 21. per quirentibus recteque; se-
cantibus 2. Tim. 2: 15. facile patescit,
tres esse præcipuas quasi columnas, ex
quibus immediate constituitur unicum illud idq; immo-
tum totius Christianæ fidei & æternæ hominum salutis
Fundamentum. Immensam nempè Dei Gratiam, salu-
tiferum Christi Salvatoris Meritum & Sanctam deniq; ad
communionem beneficiorum D E I vocationem. En au-
reum omnino Trifolium in universi orbis delicias cælitùs
donatum! Ecce divinam quasi trigam, quā cælestis pater,
pater misericordiarum 2. Cor. 1: 3. trahere constituit ad se Ioh.
6: 44 omnes & singulos homines, per lapsum exsules Heb. 13:
14. & ira quidēm naturā Eph. 2: 3 suos verò per adoptionem fi-
lios Gal. 4: 5. ex hac valle lacrymarum Psal. 84: 7. ad cælestē
municipium Pbi. 3: 20.

A

i. u

2. Ut autem hæc proxima est & genuina Basis, cui u-
niversa humani generis Restauratio incumbit; ita omni pe-
nè ævo nullis non machinis, imposturis, insultibus, id præ-
sertim operam dedit Pater mendacij Job. 8: 44. ut hæc Sacro-
sancta tulpra unà cum electo ipitorum ac pretioso lapide angula-
ri bene fundato Psal. 118: 22. Esa. 28: 16. Mat. 21: 42. cui tota
æternæ salutis structura dicitur Eph. 2: 20. varijs corrupte-
lis per fanaticos homines adulteraret, spirituali per fidem
ædificationi inutilia redderet, atq; ita, qvùm in subsidium
omnibus posita essent, perverteret in horrendam pluri-
morum hominum ruinam Esa. 8: 15. 1. Pet. 2: 8. Non igna-
rus cætera facile exposita fore damnosarum hæresium pro-
cellis, modò ipsum fundamentum lubricum fecisset atq;
arenosum. Mat. 7: 26. Maximè vero extremo hoc mundi
tempore grassatur 1. Pet. 5: 8. excitat multos pseudoprophetas,
Matt. 24: 11. 12. & seducit universum orbem, excandescentia ma-
gna plena, sciens sibi parum temporis superesse Apoc. 12: 9. 12.
Testis est nimis locuples Experientia, testis miserrima Eccle-
siæ facies, testes, hostium in seducendis simplicibus astutia,
rabies in spargendis erroribus, in fidelibus perleqvendis
furor insatiabilis; Et adhæc piorum omnium vel amari
sub onere gemitus, vel justæ de fratrū fortuna querelæ.

3. Sed quò propiora sunt dogmata salutis cardini,
quòq; infestius à Sachana ejutq; emissarijs pseudoprophetis
impetuntur, eò diligentius advigilandum esse liquet, &
veritatem adserendam enixiùs, ut fidei hoc castrum &
Christianæ Religionis arx sarta testa maneat, Deoq; con-
stet debita gloria & sanctæ ejus Ecclesiæ præsidium salutis
inconcussum.

4. Qvocirca cùm Exercitatio quadam Theologi-
ca mihi in publico suscipienda esset, inter alia non alienum
est nec fructus sterile vitum præiens Argumentum, quod

10



in S.S. Theologia palmare est & salutis æternæ, omniumq;
spiritualium profectuum non immerito audit, nam est
quoq;, proximum fundamentum..

5. Hæc verò erit hujusce Dissertationis ratio. I. Præ-
cedet *Vocum* nonnullarum brevis *Expositio*. II. Sequetur
Specialis & distincta prædictarum salutis causarum *Tradatio*:
ubi curæ nobis cordiq; erit, in singulis, legitimum contro-
versiæ statum ponere, Thesin nostram breviter declarare,
Antithesin Adversariorum ex publicis, irreprehensib; ap-
probatis & Symbolicis scriptis confessionibusq; apponere;
solidè adserere doctrinam orthodoxam; & deniq; contra
heterodoxæ fallaces incrustationes paucas brevesq; Notas
præmittere. Ac tandem III. claudent operam *Consecratio*
quædam Theologica & Usus hujus Doctrinæ in studio pieta-
tis & vita Christianæ.

6. Agnoscimus *Mysteria* esse, quæ tractamus, regni
celorum. Mat. 13: 11. temporibus aeternis tacita; Sed patefacta per
Scripturas. Rom. 16: 25. Quæ quia animalis homo non percipit
1. Cor. 2: 14. Proinde doctis humana Sapientie verbis ib. v. 13.
prorsus omissis, ea constituemus arma militiæ nostræ, qua non
carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, &
omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei 2. Cor.
10: 4.5. Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloria, det nobis
Spiritum Sapientia & revelationis &c. Eph. 1: 17.

Expositio vocum Rerumq; Designatio.

7. Tres sunt generales, quibus hic utimur, voces,
distinctè explicandæ. (1.) *Causa*. Quæ vox sensum retinet
eundem, qvem habet in sana Philosophia, importans effi-
cientiam ad res certo ordine ac modo producendas. In-
telligi vero debet operandi modus divinæ Excellentiaæ
conveniens, proportione suâ ijs servatâ; quorum ministe-

rio, placet omnipotenti Deo pro liberrima sua voluntate uti, in ordinario salutem hominibus conferendi modo. Unde fit, ut ejusmodi causarum aliae Principales sint, aliae tantum instrumentorum instar sese habeant.

8. (2.) *Salus hominum æterna*: quæ summus est restau-
rationis finis ex parte hominum i. Pet. 1: 9. non excludens
effectus intermedios, ut sunt, primùm *Fides Rom. 10: 17.*
Dein per fidem justificatio Rom. 3: 28. Ex justificatione pax
conscientie Rom. 5: 1. mox renovatio mentium Eph. 4: 23 hinc
et vitas vita Rom. 6: 4. Tit. 2: 12. in omni pietate atq; honestate
1. Tim. 2: 2. Sic æterna salus inchoatur in hac vita Rom. 14:
18 c. 8: 24. Ioh. 5: 24. complebitur vero in futura cœlesti
1 Cor. 13: 12. Phil. 3: 12. 1. Ioh. 3: 2. Proinde quām hæc divi-
næ Reparationis opera ita sese invicem ordine insequuntur,
unam sortientur eandemq; rationem ortus in homi-
nibus. Quo nomine etiam nobis hic ejusdem erunt census.

9. (3.) *Universale*. Quæ vox in præsenti materia &
frequens est & non incommoda: modò rectè accipiatur &
caveantur captiosa glossemata, quibus, sub illius specie,
hominibus horrendum in modum imponere solent veri-
tatis hostes & osores lucis, dum eam, vel per varia duntaxat
hominum Genera, vel per solos electos ausu nefario interpre-
tantur. Verum nobis hic Universale id est, quod ad o-
mnes omnino & singulos (unico Christo excepto) homi-
nes spectat, quicunq; hanc vitam vivunt & vixerunt & vi-
vent, sine ullo ab soluto discrimine gentis, statue, sexus Gal. 3:
35 etatis Mat. 18: 14. vel personarum Ad. 10: 34. Quantum ad
intentionem Dei & causarum salutem offerentium ampli-
tudinem in se.

10. Unde liquet causas æternæ salutis Universales ni-
hil aliud esse quam efficacia principia & partim Media divinitus
ordinata, concessa & oblata toti humano generi, ut propter perq; illa, à
misâ.



miserrimo lapsu iterum Deo reconcilietur, & aeternae demum beatitudini restituatur.

II. Suntq; Tria, Dei Patris ac creatoris benignissima Gratia, Dei filij Iesu Christi Salvatoris Satisfactione perfectissima, & Dei Spiritus Sancti, ad acceptanda haec divina beneficia, dulcissima Vocatio. Singula humano generi Universalis; ceu jam ordine ipsa docebit Tractatio.

De Universali Gratia Dei.

Positio Status Controversiae.

12. Is ut manifestò pateat, tenenda est orthodoxa Voluntatis Dei in Antecedentem & Consequentem distinctio. Quā admirabile divinæ misericordiæ & justitiæ temperamentum, totius insuper S. Scripturæ harmonia, ipsa restauracionis praxis & perpetua deniq; Theologorum consuetudo confirmant: nec respuere possunt ex Adversarijs Hub. Sturmius de Prædest. p. 181. Remonstrantes in coll. st. Hag. p. 183. & Lud. Croc. Synt. p. 967. Voluntas autem hic non gemina Deo ascribitur, sed ejus geminus observatur respectus ad diversa objecta. Quatenus enim respicit salutis media, prout ex parte Dei ordinata sunt & omnibus ex se destinata, Antecedens dicitur. Nempe quia antecedit considerationem obedientiæ vel inobedientiæ hominum, & respectu constat simplici, quo benefica illa Dei voluntas a qualiter sece habet erga omnes. Quatenus vero Dei voluntas respicit eadem salutis media, prout ab hominibus acceptantur vel negliguntur, Consequens appellatur. Quia sublequitur considerationem obedientiæ vel inobedientiæ hominum, & respectu constat determinato, prout eadem

voluntas se habet ad homines Tāξo illam mediorum ipso
actu vel admittentes vel respuentes.

13. Nam quām Deus misertus sit omnium hominum, omnesq; velit ad salutem provochere, certa etiam ordinavit media, omnibus communia, per quā omnes salvare possunt, si oblata non negligant, vel aspernentur: hinc fit, ut non absolutē sed cum conditione salus promittatur. Etenim omnes, qui divinis se medijs trahi sinunt, salvantur: qui vero non, quomodo ordinariē salutem adipiscuntur? Quare & illud intelligitur, quandoq; contingere, ut quos Deus Voluntate antecedente dilexit, salutemq; consequi voluit, hos consequente, odio habeat, damnet ac deniq; puniat. Nempè quia gratiam restauracionis sibi per ordinaria media oblatam repudiant & perseverant in inobedientia. Consequentem ergo voluntatem Deus duplii declarat modo, quām donatio isthac gratiæ vel acceptata est vel repudiata. Acceptantibus quidem æternam vitam tribuit; Repudiantes autem damnatione sempiternâ punit. Utrumq; Salvator unico Aphorismo complexus est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Marc. 16: 16. Ac declaravit per Parabolam Regis facientis nuptias & Heri canare magnam Matt. 22: 2. Luc. 14: 16. Quorum uterq; sollicitè omnia præparavit, & convivas mature curavit vocari, semel iterumq; ac tertium, volens Voluntate Antecedente omnibus beneficare, suasq; epulas præbere. Sed quām hi venire recusarent, quidam etiam servos vocantes contumelijs affecissent v. 6. Ingratitudine vocatorum offensi Rex herusq;, quos anteà laute desiderabant ac studebant excipere, eisdem postea Voluntate consequente voluerunt cæde & igne puniri v. 7. nec quenquam illorum gustare canam suam L. v. 24. Hinc constat, quomodo Deus omnes sine exceptione, non tam

mea



men absq; conditione & ordine , velit salvare . Manifestos ergo lucis veritatisq; osores fere præbent Adversarij hanc distinctionem immerito rejicientes . Syn. Dord. in Iud. Ext. p. 99. Piscat. Tract. con. Hemming. in App. p. 158. Alting. t. 1. p. 390. &c. 2. p. 56. &c.

14. Atq; ita emergit legitimus controversiæ status hic : An Deus Voluntate Antecedente , hoc est , in ordinatione mediorum salutis in se consideratorum , seriò intendat , atq; ex vero affectu velit ac cupiat omnes omnino homines salutem æternam consequi ?

THE S I S.

15. Affirmat tota orthodoxa Christi Ecclesia , constantè adserens & rotundè , Deum seriò velle , veroq; ac infucato animi consilio atq; affectu expetere salutem omnium sine delectu hominum .

Antithesis.

16. Adversarij negant . Beza coll. Momp. p. 435. Non est quod miremur , Deum aliquos in miseria sua occulto & arcane ipsum consilio reliquisse , quos aeterno suo sed justo decreto , ad aeternam damnationem creavit , neque unquam dilexit . Et part. 2. Resp. ad Acta Coll. Momp p. 194 Hoc dico , nunquam tempus fuisse , vel esse futurum , quo voluerit , velit aut volituros sit Deus singulorum miseri . Admonit. Neostad. c. 3. p. 139. Deus non vult omnes , sed tantum quos elegit converti & salvati , quod ad suam affectionem attinet conversionis & salutis ipsorum . Syn. Dord. in Iud provinc. p. 107. Voluntas illa generalis omnium salutem , conversionem &c. desiderans intendensq; , commentum est cerebri humani , ac Deum in impotentem hominem transformat , qui cuparet omnes homines salvati , sed non possit hoc efficere . vid. p. 106. 113. &c.

213. &c. Et hoc suum horrendum dogma magno conatu
adstruere non verentur scholæ Calvinisticæ professores
Piscat. Tract. de Gratia Dei contra Hemming. item Disp. contra
Schaafm. Alting. Op. Theol. I. l. p. 393. 399. &c.

Adsertio Theseos.

17. Hic omne propemodum Argumentorum genus
nobis sese videtur velut agmine facto offerre ad patroci-
nium cœlestis veritatis. Sed in hac tanta angustia vel in-
dicem nudum delibasse in lucro ponemus. Indicationem
à corruptelis reservantes publico congressui. I. Agmen
vero ducere meritò permittimus Expressissima S.S. Scriptu-
ra Testimonia. Quorum si delectum faciamus ordinemq;
(1.) Quædam rotundè clamant Deum velle omnes sine ex-
ceptione homines salvari. Qualia sunt hæc: Psal. 145: 9.
Bonus Dominus omnibus: & miserationes (יְמֻנָּה) ejus super o-
mnia opera ejus. Ioh. 3: 16. 17. Sic Deus dilexit mundum, ut fi-
lium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat
sed habeat vitam æternam. Rom. 11: 32. Conclusit Deus omnes in
incredulitatem, ut omnium misereatur. Eph. 1: 9. Deus secundum
beneplacitum suum proposuit, in dispensatione plenitudinis tempo-
rum instaurare (sub unum caput reducere) omnia in Christo, quæ
in cœlis & quæ in terra sunt. conf. col. 1: 19. 20. 1. Tim. 2: 4. Deus
omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.
Tit. 2: 11. Illuxit enim gratia Dei salutifera omnibus hominibus.

18. (2.) Quædam contendunt Deum nullius omni-
no interitum velle. Idq; contestatur Deus:

a. Rotundâ adsertione 2. Pet. 3: 9. Non tardat Dominus
promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit
propter nos, non volens ullis perire, sed omnes ad penitentiam re-
verti.

b. Flagrantissimo desiderio conversionis omnium,
& que-



& querelis grauissimis de incredulitate, deq; contumacia
& præfracta obstinatione pereuntiam. Deut. 5. 29. ò si esset hic
eorum animus illis, ad timendum me & observandum omnia prece-
pla mea omnibus diebus, ut bene esset eis & filii eorum in seculum.
conf. Psal. 81. 14. Esa. 48. 18. Esa. 65. 2. Expandi manus meas to-
tide, ad populum contumacem, qui graditur in via non bona, post
cogitationes suas. Prov. 1. 24. Vocavi & renuisti: extendi manum
meam, & non fuit, qui adspiceret. Despexitis omne consilium me-
um, & increpationes meas neglexistis.

y. Amarissimis gemitibus lachrymisq; super coron-
dem ruinas. Marc. 3: 5. Christus contristatus est super cacitatem
cordis eorum & Luc. 19. 41. videns civitatem (Hierusalē) flevit
super illam. Evidenti ostendens signo, quam serio intendisset
conversionem; exitiū v. noluisset iudicorum. Quippe la-
crijma doloris legati: Cyprianus. Et sanguis animi vulneratis
Brentius.

19. d. Severissimo iuramento. Ezech. 18. 33. c. 33: 11. Qua-
re moriemini domus Israel. Vivo ego dicit Dominus: nolo morte im-
pij, sed ut convertatur impius à via sua & vivat: convertimini,
convertimini à vijs vestris pessimis: & quare moriemini domus
Israel? Isthoc autem iuramentum quem in finem fecerit
Deus, docet Dei Spiritus. Heb. 6: 16.

20. e. Acerrimā Expostulatione, causati damnationis
esse solam inobedientiam reproborum, qui partam, con-
cessam & oblatam salutem pervicaciter detrectant. Os. 13: 9.
Perditio tua ex te Israel: sed in me auxilium tuum. Mat. 23: 37.
Hierusalem Hierusalem, que occidis Prophetas & lapidas eos qui
ad te missi sunt: quoties congregare volui filios tuos, quemad-
modum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis. Luc. 7.
30 Pharisei & legisperiti consiliū Dei spreverunt, adversus seipso,
non baptizati à Iohanne. Ioh. 3: 19. Hoc est iudicium, quod
lux venit in mundum, & dilexerunt homines plus tenebras quam

B

lucens



lucem. Act. 7: 51. Duri cervice & incircumcis̄ corde & auribus
vos semp̄r Spiritui Sancto resilitis : sicut patres v̄fri ita & vos.
Act. 13: 46. Vobis oportebat primū loqui verbum Dei : Sed quia
repellitis illud, & indignos vos judicatis æternā vitā, ecce conver-
timur ad gentes. Rom. 2: 4. An divitias bonitatis ejus & patientiae,
& longanimitatis contemnis? ignorans quoniam bonitas Dei ad pa-
nitentiam te invitat? secundum dñitatem autem tuam & impanis-
tens cor, thesaurizas tibi iram in die ira & revelationis justi judi-
cij Dei. conf. c. 11: 20. 2. Thes. 2: 10.

21. II. Ad hæc clarissima ipsius Dei effata accedunt
S. Literarum immota Rationes, ex quibus paucas indigitabi-
mus verius quam exponemus. Illustre cum primis est atq;
inviolabile Universalis Dei amoris documentum, Creatio
totius humani generis in Adamo ad æternam gloriam.
Nam quo scundq; Deus condidit ad imaginem suam ac suf-
ficientibus standi viribus instruxit, eos etiam voluit æter-
nam vitam possidere. Etenim cum itnago illa consti-
rit in vera justitia & Sanctitate Eph. 4: 24. cuius necessaria
pars fuit immortalitas Sap. 2: 23. Imò sub imagine Dei com-
prehendatur, quicquid ad spiritualem & æternam vitam
spectat, ut fatetur Calvin. l. 1. Inst. c. 15. s. 4. Sanè nihil cum
ea commune habere poterat damnatio, quæ mors secunda
Apoc. 20: 6. Atqui Deum condidisse in Adamo & Eva omnes
homines ad imaginem suam eosq; sufficientibus standi vi-
ribus instruxisse, partim confitetur Piscat. c. Schaaſ. p. 10. &
contra Hemming. p. 166. item Crocius Synt. p. 1026. partim effi-
citur inde, quod Protoplasti non pro suis tantum personis,
sed tota etiam posteritate ac universa, quam repræsenta-
bant, specie, dona præceptumq; servatu omnino possibile
acceperint. Quo libere violato, sicuti dona illa non sibi
dunataxat, sed omnibus etiam posteris perdiderunt. Rom.

S. 12.



§ 12. 16. Ita si persistissent, similiter ea in totam propagas-
sent posteritatem.

22. Deinde è diametro repugnat adversa sententia i-
psissimæ Dei naturæ, immensæq; ejus bonitati ac miseri-
cordiæ in omnes creaturest pætert in homines tot do-
cumentis ineffabilibus plusquam abundè patefactæ, imò,
quod omni querelâ deterius, Deum omnino facit causam
damnationis plurimorum hominum, atq; peccati. Quid
enim aliud sibi re ipsa vult illud Adversariorum dogma,
quo statuunt Deum nulla motum causâ extrinsecâ, qua in homine
esset, sed ex se & merito suo beneplacito, decreuisse non eligere, id
est, præterire, & in peccato ac miseria relinquare, quos ipsi visum
fuit: nec ipsis media ad conversionem & salutem necessaria & suffi-
cientia conferre. Syn. Dord. p. 279. & in Jud. Exter. p. 14.
56. 57. Iccircò communiter universam hominum sortem
suspendunt ab decreto absoluto, quo Deus, apud se constitutum
habuit, quid de unoquoq; hominum fieri vellet, quod ad aeternam i-
psorum salutem vel existum attinet. Pisc. Tract. de Div. Præ-
dest. Aphorism. 1. 2. 4. & 5. Et Vol. i. p. 300. Alting. T. i.
p. 52. Synd. Dord. in Jud. Molin. p. 334. 338. Adeoq; decre-
to aeterno, immutabili, & omnes causas ordine quoq; antegrediente,
quosdam ad aeternam damnationē destinavit, Beza in Coll. Mom.
p. 428. Quare, ut Deus finem creationis hominis consequeretur
oportuit Eram & Adamum per Sathanam decipi. Ita ut lapsi sint
necessariò quoad Deum ibid p. 430. Deo sic ordinante, ut quidam
damarentur p. 431. Hinc Deus noluit impios ingredi viam salu-
tis, quos ad damnationem creavit. p. 434. neq; unquam dilexit
p. 435. vid. p. 432. 446. Proindè etiam tales condidit, ut labi
possent: imò hoc consilio condidit, ut reipsa laberentur: quippe
quum non nisi hac ratione pervenire potuerit, ad fines illos principa-
les. Pisc. contra Schaaf. th. 27. p. 26. Cujus consilij vi fieri a-
liter non poterat, quin peccarent. p. 11. Decretum vero de finibus

est, quod Deus deinceps creaverit, hominum alios creare ad salutem, alios
ad infernum. Contra Hemming p. 169. Et sic plerosq; absq;
allo merito suo reprobatos: eosq; cum peccandi necessitate conditos,
docet idem contra Schaafer. p. 9. v. p. 25. conf. vol. 2. p. 143.
212. Ut dicere liceat etiam peccata sub divinam prædestinationem
cadere, cum Deus homines ad auxilium quoq; prædestinarit Vol 3.
p. 368. Duplex ergo necessitas reprobos insequitur, una peccandi
altera pereundi: ad utramq; reprobi ab omni aeternitate prædesti-
nati. Hub. Sturm. Diatrib. de prædest. th. 18. Reprobatio-
nis enim nulla alia causa ex scripturis proferri aut assignari potest,
quam justa & immota Dei voluntas, quod ipse in aeterno illo & ar-
cano consilio aliquos homines aeterno exitio & suppicio adjudicare-
rit, idq; antequam ipsi erant, & atquid mali fecerant. Peccatum
enim reprobationis causa nequaquam potest esse. Rennech. in
Aur. Cat. c. 7. p. 37. Conf. Zanch. de nat. Dei c. 4. th. 2.
p. 374. Nec aliter Rivetus iuter hodiernos præcipuus in
Cathol Orthod. t. 2. p. 403. Si queratur causa, cur voluerit
Deus hunc vel illum hominem destinare ad perniciem, nullæ alia da-
ri potest causa, praeter Dei voluntatem: Si enim voluisse Deus, a-
lter de eo statuisset, &c. Clarius verò Chamier. Panstrat. l. 3.
c. 7. p. 46. Deus, inquit, ex consilio sua voluntatis facit omnia que-
sunt: imo & ipsa de quibus disputamus peccata; facit inquam,
vel per se solum, vel per ea instrumenta (homines) qua pro arbit-
rio delegit & moveat. Vid. Act. Syn. Dord. Remonst. p. 41.
259. 276. & part. 2, pag. 26. 48. 52. &c. Quis nisi extremè
hardus hæc omnia & plura ejusmodi sincero exutiens a-
nimо, quod quidem vix sine horrore faciet, non illicò a-
nimadvertet, pleno ea impetu ferrī contra benignissimam
Dei naturam ac bonitatem, eumq; optimum creatorem ac
patrem misericordissimum transformare in crudelissimū
tyrannom atq; immitissimum oppressorem, imo causam
eisdem summam impingere peccatorum atq; exitij homi-
num



num: Ut hoc dogmate vix meliorem nobis Deum depin-
gant Tiberio Cæsare, qui absolutè volens immaturas puellas
strangulari. Sed quia more tradito nefas esset virgines strangu-
lari, decreto suo vitiari prius à carnifice, dein strangulari curavit.
Teste Sveton. c. 61. Vid. P. Bertij Apol. Quæ certè non
modo cum natura Dei & præsertim φιλανθρωπίᾳ ejus, uni-
versalibus beneficijs testatissima, atq; à tanta atrocitate a-
lienissima, manifestò pugnant; sed etiam cum Hypothe-
sibus, rectius glaucomatis, Adversariorum, qui videri vo-
lunt Deum à peccati causa defendere, sed quam verè jam
patuit.

23. Quid vero scriptura? Bonus Dominus universis. Psa.
145: 9. Misericordia omnium: Diligis omnia quæ sunt, & nihil odi-
+ sti eorum, quæ fecisti Sap. 11: 25. In misericordia disponens univer-
sa c. 15: 1. Pater misericordiarum Eph. 2: 4. Conf. Esa. 28. 21.
Creavit ut essent omnia Sap. 1: 13. Nè dicas per Dominum fa-
ctum est ut desicerem, nam quæ odio habet ea nè faceres. Nè di-
cas ipse me fixisse: Nam non habet opus rigo peccatore: neq; dedit
ulli veniam peccandi Syr. 15: 11. Conf. Ps. 5: 5. 7.

24. Possemus III. expressum quoq; S. Patrum lau-
dare consensum, sed sufficiat indicasse Augustinum, Chry-
solitum, Bernhardum; quorum hic reliquos secutus ita suam
juxta ac illorum mentem declarat: Omnibus, inquit, offer-
tur & in communi posita est Dei misericordia, nemo illius expers-
est, nisi qui renuit. Serm. in purif. Mar.

25. IV. Sed quanta veritatis vis! Neq; omnes Adversa-
rij neq; semper, tantæ luci calculum subtrahere suum potue-
runt. In promptu sunt apertæ confessiones, aversa in so-
cios arma. Bullingeri, Hyperij, Hemmingij, Gualteri, Pezeli, Crocij;
Crusigeri, Pelargi; cum primis R. monstrantium & Lud. Crocij;
quos et si alias devorare fascinationes non puduit; hic ta-

men sive serio omnes, sive in speciem aliqui, blasphemiam
in sanctum Israelis jaccere sunt veriti.

26. V. Quid quod *ipsa hominum ratio*, ut ut in
merè spiritualibus nihil valeat, sibi tamen persuaderi haud
sustinet, voluisse Deum absolutè quosdam homines nedum
maximam eorum partem aeterno praedestinare exitio, so-
lum quia ipsi ita libuerit: ut potè quem constanter agno-
soit, prædicatq; intrepidè optimum esse, & per se non nisi
benè de hominum genere mereri, nocere nemini &c. Id
quod constat etiam gentibus fuisse certissimum.

Note contra Strophas Antitheseos.

27. Adversarij ut pudendam infandi dogmatis ex-
erandamq; turpitudinem tegant, tucum faciant incautis,
ac divini verbi testimonia jubare meridiano clariora si non
elidant, eludant tamen, effugia queruunt in fraudulentis,
quas diù commenti sunt, distinctionculis. De quibus ut
conset piæ menti quid sentiendum sit, notare juvabit.
I. Quidam distinguunt inter Voluntatem Dei Revelatam seu signi
& Arcanam seu beneplaciti, suo sensu, id est, interprete Pisc.
contra Schaaft. Th. 76. in Vol. 2. p. 200. Deum interdum verbo si-
gnificare se velle, quod revera non vult, & nolle quod revera vult.
Item ib. 121. Deum, quod lingua profitetur, idem non semper nec
in omnibus velle. Et post pauca. Lingua per ministros Evan-
geliij profitetur se reprobos, quos in turba electorum alloquitur, velle
credere Evangelio, quatenus id ei mandat: & tamen non vult eos
credere: quia si vellet, daret ei credendi gratiam: sine qua credere
nemo potest. Idem habet Tract. contra Hemming. p. 152. Nec
aliter interpretatur syn. Dord. in jud. Ext. p. 224. & jud.
prov. p. 259. Quis non videt talem distinctionem contra-
rias in Deo voluntates ponere, pessimam Deo hypocrisim
tribu-

tribuere, sibi ipsi adversari, & Spiritui Sancto in os contradicere, qui disertè pronuntiat verbo prædicato contineri Voluntatem cordis Dei Act. 13: 22. consilium Dei I Cor. 7: 30. immò omne consilium Dei Act. 20: 27. de nostra scil. salute.

2. Nec minori vanitate distinguit Syn. Dord. in jud. provinc. p. 17. & passim alibi, inter Approbationem, quā dicunt Deum non delectari cuiusquam, ut sui operū, interitus & Effectionem salutis, quam solis electis velit: Nam ex approbatione adeò generali, quā etiam dici potest Diabolos velle salvos, fides salvifica generari non potest. Nec effectio, ut potè quam soli obedientes admittunt, omnem Dei gratiam absolvit.

3. Deus quædam vult *absolutè* & *simpliciter*, quædam certā conditione & certis medijs: illa omnino; hæc non nisi positā conditione & medijs, eveniunt. Posteriori autem modo vult Deus omnes salvos fieri, ut non difficitur Croc Synt. p. 1033. Idq;

4. Intelligi debet de Antecedente Dei voluntate; non vero de consequente, ut suprà fuit declaratum.

5. Vocabulum *Mundi* quandò ad solos electos trahunt, & vim contextibus manifestam inferunt, & fidei analogiam turpiter violant.

6. Eodem planè peccatur modò quum vox *omnes*, non de singulis etiam generum, ut harmonia scripturæ vult, sed de Generibus tantum singulorum pro malè præconcepta opinione accipitur.

7. Sed neq; minus ineptè Christum, aliter *ut hominem* & aliter *ut Deum*, erga homines affectum fingunt: Quippe qui venit voluntatem tantum patris sui enarratus & facturus Ioh. 1: 18. c. 6: 38. c. 15: 15. &c.

DE



DE
Universali Merito Christi

Positio Status Controversiae.

28. Ut hic quoq; genuinus Questionis Status, quem nimis callidè solent Adversarij cùm perverttere, tum obscurare in aperto collocetur: non prætereunda est vulgaris inter sufficientiam & Efficientiam meriti Christi Distinctio. Quam illi sàpè prætexunt; (Bezà tamen & Piscatore mordicùs reclamantibus) Nostrates etiam Theologi admittunt; Sed dispari planè sensu. Nos dicimus Christi Meritum sic esse sufficiens pro omnibus, quod juxta Dei patris consilium & suam patientis intentionem, ipso actu satisfecerit pro omnium hominum delictis, adeoq; universalem esse Reconciliationis impetrationem verè & realiter ex parte Dei: ideo verò eam in eventu effectuq; non omnibus prodesse, quia non ab omnibus recipitur. Sed Calviniani per sufficientiam intelligunt solum valorem & pretium Meriti Christi in se, quod si Deus ita voluisse, potuisset Christi passio esse λόγον sufficiens pro omnibus hominibus, etiamsi vel mille essent mundi: Interim strenue contendunt, Christum decreto patris, suaq; intentione pro solis electis mortuum esse, ut modò constabit.

29. Verum enim verò cuiq; perspicuum est, adeò remotam & alienam sufficientiam Merito Christi tributam, Questionis nodum nullatenus solvere: Sed eò duntaxat spectare, ut orbi Christiano illudant. Sicut enim thesauri Europæ non sunt λόγοι pro omnibus Christianis apud Turcam captivis, et si eò sufficient: cum ex decreto non nisi pauci redimuntur; ita admodum ineptè diceretur Christus pro omnibus satisfecisse, si nō nisi Electorum redemptioni desti

destinatus fuisset. Unde plena hunc in modum formatur Quæstio: An Christus voluntate consilioq; Dei Patris, ac suâ ipsius intentione, passione & merito suo pro omnibus & singulis hominibus, reprobis juxta ac electis verè iploq; opere satisfecerit, atq; ita totū genus humanū plenē & peræquè redemerit?

Thesis.

30. Nos affirmamus: sed distingventes inter Acquisitionem plena reconciliationis, seu Efficaciam Meriti Christi in se atq; ex consilio Dei ac intentione ipsius Christi consideratam; & inter Acquisitionem conjunctam cum Applicatione ad homines quatenus ipso opere per fidē participant fructum Meriti Christi sibi in salutarem restorationem, vel ejus saltem initium. Priori n. modo meritum Christi universale statuimus, & æquè ad omnes homines pertinere; posteriori v. ad solos credentes. Perinde ac Cyrus omnibus quidem Judæis solvit captivitatem Babyloniam *Neh. 1. 3: 4.* & omnibus Judæorum servis annus Jubilæus plenam ex servitute liberationē concessit *Lev. 25. 41.* et si fructus dimissionis non obtigit nisi ex iure volentibus.

Antithesis.

31. Negant Adversarij. Calv. contra Heshus. p. 39. Cato Christi pro impijs non est crucifixus, nec sanguis Christi pro expiandis eorū peccati effusus. Beza: in Col. Momp. p. 421. Et certè nobis intolerabilis vox vestra visa est Christum esse mortuum pro damnatis. vid. p. 447. & Resp. 2. ad Act. Coll. Momp. 221. Iterū autem dico, & coram tota Ecclesia Dei profiteor, falsum, blasphemum, impium esse, dicere Christum sive quod ad Dei consilium attinet sive quod ad effectum, non minus pro damnandorum, & aeterno judicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuū esse &

C

satisfi-

satisfecisse, quām pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum.
vid. p. 213. 217. 218. Contra Remonstrantcs in Collat. Hag. p. 23.
Licet mors Christi tanquam Unigeniti & coessentialis filij Dei suffi-
ciens sit ad satisfactionem pro peccatis omnium hominum, tamen
juxta consilium & decretum Dei tantum in solis electis & verè cre-
dentibus vim suam habet ad reconciliationem & remissionem pecca-
torum ipsorum. vid. p. 123. 139. 149. 128. 130. Edit. Bert. Sya.
Dord pag. 290. & in Jud. Ext. p. 22. Non omnes dedit pater filio
redimendos p. 153. Christus ex consilio, intentione & decreto patris
pro solis electis mortuus est. p. 192. Unde liquidò colligitur, non fu-
isse Christi intentionem, dare Iesu in pretium pro omnibus & singulis
aequaliter. conf. p. 108. 122. Item p. 126. Sic ut Christus pro omnibus
& solis electis adaequatè est mortuus, ita pro his solis intercessit in statu
humili, pro his solis resurrexit. proq[ue] illis solis jam intercedit in celis.
Executio officij Christi sacerdotalis tribus veluti partibus absolvitur
legis impletione, panarum persolutione & intercessione. Quæ tria pro
objecto adaequato habent omnes & solos electos. vid. in Jud. Prov. p.
158. 159. 141. 161. 162. In Jud. Paræ. 247. 248. 249. in jud.
Molin. p. 340. 342. Quid multis opus est? per volvuntur om-
nia, tam Exterorum quam Provincialium judicia in Actis illis
Synodic. & constabit singula in hoc punto manifestè cōspi-
rare, atq[ue] ex illis conflatum esse Canonem Syaodicum in
Act. p. 290. scil. Voluisse Deum, ut Christus per sanguinem crucis
siquo morâ fidus confirmaret. ex omni populo, tribu, gente & lingua
eos omnes & solos qui ab aeterno ad salutem electi & à patre ipso auti-
sunt, efficaciter redimeret. conf. p. 275. Et hæc instanter defen-
sant ijs. contra Schaf. lib. 58. contra Hemin. p. 8, Aling. t. 1. p.
102. ac reliqui.

Adsertio Theseos.

32. Audiamus iterum l. Propria ipsius Jēbovæ de suo
beneficio testimonia. Hæc a. quia complura sunt, præcipua
deli-

delibabimus, ac evidentiæ causa sic distinguemus, ut & consilium Dei, & institutum Christi, & ipsum redemptiōnis opus juxta constet fuisse universalia.

1. Quædam continent Dei promissiones de universali hominum reparacione per Christum. Gen. 3: 15. Semen mulieris conteret caput serpentis. Quod Protevangelium, quia protoplastis totum genus humanum repræsentantibus datum fuit, universale evincitur, agnoscente Crocio Synt. p. 1026. Repetitum Patribus Gen. 12. 3. In te benedicentur omnes generationes terre. Vid. c. 18: 18. c. 23: 18. conf. Gal. 3: 10 11.

2. In Quibusdam dicuntur omnium peccata Christo imposita, isq; pro omnibus datus, traditus, missus, Esa. 53: 6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Ioh. 3: 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam. Rom 8: 32. Deus proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Gal. 4: 4. Deus misit filium suum, ut omnes, qui sub lege erant, redimeret. Conf. 1. Joh. 4. 14.

3. Quibusdam testatur Christus ipse se venisse volentem facere voluntatem Dei (puta sic uti jam dictum mittentis) Psal. 40: 8. Conf. Phil. 2: 8. Joh. 6: 38. c. 15: 15. Venisse salvare quod perierat. Matth. 18: 11. Atqui omnes homines periēre Rom. 5: 12. Ps. 14. Rom. 3. & venisse non ut judicaret, sed ut salvum faceret mundum Joh. 12: 47.

(4.) Quædam docent Christum reapse pro omnibus satisfecisse. Rom. 5: 18. Sicut per unius delictum (creatus venit) in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam (gratia redundavit) in omnes homines ad justificationem vita. 1. Cor. 15: 22. Sicut in Adamo omnes moriuntur; ita & in Chri-

sto omnes vivificabuntur. 2. Cor. 5: 14. Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. Col. 1: 20. Complacuit Deo per Christum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus, per ipsum, sive quae in terra sunt, sive quae in celis sunt. Conf. Eph. 1: 10. 1. Tim. 2: 6. Christus dedit seipsum pretium redēptionis pro omnibus c. 4: 10. Est Salvator omnium, maximè fidelium. Heb. 2: 9. Pro omnibus gustavit mortem. Et sic est factus gaudium universo populo. Luc. 2: 10.

(5) Quidam pro toto mundo mortuum dicunt. Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Joh. 1: 9. Agnus Dei qui tollit peccata mundi, v. 29. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris auctentiam sed etiam pro totius mundi! Eundem habent sensum cetera illa ejusdem Spiritus & Apostoli effata. Joh. 4: 23 cap. 6: 52. &c. 12: 47. Quibus concordat illud Pauli: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5: 19.

(6.) Quidam deniq; conclamant expresse pro ijs mortuū esse Christum, qui suā culpā pereunt & damnantur: posse nūm? perdi illum, pro quo mortuus est Christus. 1. Cor. 6: 15. ex membris Christi fieri membra meretricis, 1. Cor. 6: 18. ac perire, propter quem mortuus est Christus. 1. Cor. 8: 11. Ita ut aliquando vere participes fiant meriti Christi etiam ij, qui non sunt electi; sed regenerati quidem atq; illuminati propter Christum: at spontanea defectione vicissim ruunt in exitium. Vid. Matt. 12: 43. seqq. Exemplo est Judas. Luc. 22: 3. Joh. 13: 2. Conf. Heb. 6: 4. &c. 10: 26. 2. Pet. 2: 1. & 20.

33. Idem evincunt: II. Inconcussæ verbī divini Rationes. Quas inter hæ eminent. (1) Quia causa, cur voluerit Deus pater filium mori, ad omnes homines sele extendit, videl. Universalis Dilectio, quam credimus supra sufficienter esse probatam.

2. Quia



(2.) Quia omnes ad fruendū Christi merito vocat, cœu infra manifestum fiet.

(3.) Quia ideo damnantur reprobi, quod non credant in nomen unigeniti filij Dei. Job. 3:18. 36. Quod non velent venire ad eum ut vitam habeant. Job 5: 40. quia si non venisset & locutus fuisset, peccatum non haberent. Job. 15: 21. Hinc Spiritus S. arguit mundum de peccato, quia non credit in Christum c. 16:9. Quomodo autem potest aliquis justè damnari propter contemptum ejus rei, quæ ad ipsum revera & ex decreto Dei haud pertinet?

34. III. Hanc ipsam quoq; veterum Patrum ac totius Antiquitatis intemeratae & mentem fuisse & doctrinam, facile est perspicere. Diserta sunt Origenis, Basilij, Cyrilli, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Sinesij, Primasij, Theophylacti, &c. testimonia in orthodoxorum scriptis Theologorum.

35. IV. Quin & hic inexpugnabile divinæ lucis robur ipsis hostibus seriò an sui oblitis, satis claram non nunquam extorsit Confessionem, ut P. Martyri, W. Musculo, Rud. Gualthero Butano, Polano, Marorato: Ingenuè nobis applaudunt Hemmingius, & Remonstrantes inter quos haberi vult, quietiam Calvini huc flectere conatur sententiam, Lud. Crocius Synt. p. 961. 1013.

Notæ contra Strophas Antitheseos.

36. 1. Audax nimis est temeritas Adversariorū, dicentium Christū pro persecutibus mortuū esse non oīas, legiā dōxησι duntaxat. Etn. quid hac ratione candoris Deo, quid verbo ejus certitudinis relinquitur?

2. Quando Christus dicitur mortuus pro Fidelibus, non

debet exclusivè id intelligi, cum particulae Exclusivæ
nuspiam addantur.

3. A Negatione fructus seu usurpationis vitio homi-
num impeditæ, ad Negationē acquisitionis per Christum
prætermissæ, incongrua fit argumentatio. Similia ha-
syl. bes *Ach.* 1:3. 2. *Par.* 36: 22. idem *Lev.* 25: 40.

4. Ubi Christus dicitur effudisse sanguinem pro multis
ibi vox hæc collectivè & universaliter pro toto hominum
genere intelligi debet, ut ostendit oppositio *Rom.* 5: 19. Et
collatio *Mat.* 20. 28. cum 1. *Tim.* 2. 6. Nec non *Dan.* 12. 2.
Cum Mat. 25. 32. & *Joh.* 5. 28.

5. Oviam vocab. in scripturis accipitur vel Generaliter
ratione creationis & redemptionis, & sic omnes homines;
vel specialiter ratione Regenerationis & sanctificationis;
& sic soli credentes sunt Christi oves.

6. Intercessio quoq; Christi vel Generalis est, quæ ad to-
tum mundum spectat *Esa.* 53: 12. *Luc.* 22: 34. vel specialis,
quæ pro Apostolis & per verbum ipsorum credentibus
orat, ut in agnitiâ veritate & concordi animorum coniunc-
tione conserventur. Nec absolute impetrare voluit ex-
traordinariam impiorum conversionem, sed ut pater or-
dini à se instituto ad salvandū homines, benedicere vellet;
utq; homines, sine contumacia, salutis media libenter ad-
mitterent.

7. Similiter officium Christi in hoc mundo cum Gene-
rale fuit, constans satisfactione pro peccatis, quod perti-
nuit ad omnes homines *Rom.* 10: 12. tum Speciale, occu-
patum in prædicatione verbi & miraculis, quod executus
est in persona propria apud solos ferè judæos *Rom.* 15: 8.

D E



De

Universali Hominum ad salutem vocatione.

Positio Status Controversiae.

37. Hic non queritur, an omnes homines sint pariter eodem vel tempore vel modo, de facto, vocati aut etiamnum vocentur; sed super hoc reciprocatur serra Controversia nos inter & Calvinianos: An Deus omnibus in universo mundo hominibus, juxta ordinem sibi complacitum, serio intenderit, destinari, & sua ex parte curarit offerri sufficientia & in se æquè efficacia æternæ salutis media? An vero ex absoluto decreto, meroq; suo beneplacito destituerit ac destituat Reprobos vel omni planè, vel sufficienti efficaciq; Evangelij prædicatione?

Thesis.

38. Prius nos affirmamus & negamus Posterius. Ac pie censemus vocationem quoq; spectandam esse juxta voluntatem Antecedentem Dei, ejusq; intentionem ac benignam curam temperuisse & esse à sua quidem parte, ut omnes & singuli homines, non sanè absolutè, sed ordinariè, ad spiritualem beneficiorum communionem vocarentur ac vocentur: Neminem vero absoluto decreto, vel ullo vocationis ex se spectata defecit, indè voluisse aut velle ex-

le exclusum seu in miseria peccatisq; præteritum. Præser-
tim autem urgamus in N. T. dirutā macerie Eph. 2: 14. por-
tam patuisse plenitudini gentium Rom. 11: 25. Ita ut non
modo nullus unquam absolutè & nudo ex beneplacito Dei
vel in Judæis vel in Gentibus præteritus sit: Sed potius post
consummatum Redemptionis opus indifferentè ad o-
mnes homines Deus voluerit, jussit ac benignè curarit
promulgari S. Evangelium.

Antithesis.

394 Adversarij negant prius, posterius affirmant.
Calv. l. 3. Instit. c. 24. §. 12. Quos in vita contumeliam &
mortis exitium creavit, ut ira sua organa forent & severitatis ex-
empla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui
facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excusat & obstupe-
facit. Beza in Coll. Momp. p. 433. Proposuit Deos reprobos
in hunc finem creare, ut in ipsis iram & justitiam suam ostenderet,
quos nunquam dilexit, ideo etiam vel prorsus non vocat, vel ut ma-
xime vocet, tamen vocatio prorsus inefficax est, quia verbum præ-
dicationis ferit aures, sed cor non attingit, neq; ad conversionem
movet. Horum quamvis necessaria, tamen spontanea est pertina-
cia, quibus non datum est, veritatis Spiritum amplecti & credere.
Conf. p. 385. Syn. Dord. in Iud. Prov. p. 62. Deus statuit re-
probis media ad fidem & conversionem vel simpliciter non dare, vel
non efficaciter applicare, idq; ex mero placito & liberrima volunta-
te, faciente de suo quod ruit. Conf. Iud. Ext. p. 98. 224. & passim.
Similia habent Contra Remonst. in Coll. Hag. p. 126. 153.
Pisc. Tract. de prædest. p. 34. Quos prædestinavit ad interi-
tum, eos quoq; decrevit non facere participes mediorum illorum
qua ad salutem perducunt: sed eos sibi relinquere, aut etiam

Diabolo



'Diabol' o tradere; ut tum hujus, tam pravae nature sue instinctu ita
teritum sibi accersant. Et p. 44. ita reprobos vel à notitia sui no-
minis, vel à Spiritu S. sanctificatione excludendo, quale maneat
eos iudiciu[m] istis veluti notis aperie. Conf. Vol. I. p. 305.

Adsertio Theseos.

41. Quum inde à prima eaq[ue] peculiari Abrahami voca-
tione Gen. 12: 1. Job. 24: 3. usq[ue] ad mortem ferè Christi
genus humanum adæquatè divisum fuerit in *Judeos* & *Gen-
tes* Rom. 1: 16. Spectari non incommodè potest vocatio-
tum Generalitèr, quatenus utriq[ue] populo communis, tum
Sigillatim, quatenus alterutri peculiaris faerit; Indeq[ue] dici
partim *Communis*, partim *Specialis*: utrobiq[ue] tamen in se ac
suo genere existens *Universalis*.

42. *Communis Vocationis Universalitas evincitur:*

I. *Ex creatione omnium hominum in Adamo ac
Eva ad imaginem Dei*, quâ omnibus sine exceptione
æterna gloria vere intendebatur, ut supra ostendimus. Hac
vero cum statim horrendo Protoplasmorum lapsu omnes
excidissent etiam per Protevangelium ipsis datum Gen. 3: 15.
omnes vicissim revocati sunt.

II. *Ex instaurazione generis humani post diluvium*
facta per piüm Noachum ejusq[ue] familiam, quam verum
Domini cultum, cum posteris omnibus communicandum,
habuisse, iudicium est. vid. Gen. 6: 22. c. 8: 21. c. 9: 9.

III. *Ex publica, illustri & solenni Evangelij
annunciatione in N. T. per totum terrarum orbem*,
quam omnibus singulisq[ue] Judæis ac gentilibus indiscrimi-
natim fieri Deus altissimus voluit, decrevit, curavitque:

D

volens

volens omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim.
2:4. Id quod amplius luculenter adstruunt:

43. (1) Universalis vocationis promissio per Prophetas. Gen.
22:18. Psal. 19:4. 5. & 72:9. Esa. 9:2. c. 49:6. Mat. 1:11. &
passim.

(2) Universales Dei invitationes. Esa. 45:22. Converti-
mini ad me & salvi eritis omnes fines terre. Conf. Esa. 5:1. Et
Matt. 11:28 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis

(3) Mandatum Apostolis datum, docendi omnes gentes. Matth.
28:19. Eandi in mundum universum & praedicandi Evangelium
omni creatura Marc. 16:15. Conf. Act. 13:47. Rom. 1:5. O-
portebat enim praedicari in nomine Christi, pænitentiam & remis-
sionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo a Hierosolymis
Luc. 24:47.

44. (4.) Executio illius mandati. Mox enim nomine Dei
annuntiarunt Apostoli hominibus, ut omnes ubique pænitenti-
am agerent. Act. 17:30. Conf. Act. 2:9. 10. Nunquid non audi-
verunt? equidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fi-
nes orbis terra verba eorum Rom. 10:18. Ita ut vel jam tum
verbum veritatis Evangelij in universo mundo fuerit & fructifi-
carit & creverit Col. 1:6. prædicatum in universa terra quæ
sub sole v. 25. Quippè annuntiarunt Christum corripientes o-
mnem hominem & docentes omnem hominem, ut exhiberent omnem
hominem perfectum in Christo Iesu v. 28.

(5.) Universale Ministerium verbi ordinarium, quod sem-
per instructum tuit mandato compellandi omnes sine de-
lectu homines, in officio prædicandi. Esa. 58:1. 2 Tim. 4:2.
etiam præfractos Ezech. 2:5. 7. c. 33:7. 8. 9. Conf. Ier. 23:5. 7.

45. (6.) Universalis Sacramentorum administratio. Christ-
us enim jussit, ordine instituto, baptizari omnes Matt. 28:19.
Marc. 10:16. Sed neque; a S. Cæsa ullus absolute excluditur:
imò participant eam etiam indigni idque; sibi iudicio 1. Cor. 11:27.

(7) Evi-



(7.) Evidentes parabole, ut Nuptiarum & Cenae magnae, in quibus omnia parata & servi ter emissi ad vocandum omnes etiam renuentes, & eogendum omnes sine discrimine ingredi Matt. 22:2. Luc. 14: 16, conf. Apoc. 19: 9. Seminis in omnis generis terram projecti Luc. 8: 5. Mat. 13:3. Sagena missa in mare & pisces malos juxta ac bonos congregantis. ibid. v. 47. conf. Jer. 16: 16. Nivis & pluviae Esa. 55: 10. Operariorum, etiam nequam, varijs vicibus vocatorum in vineam Matt. 20: 1. 15. 16. Quam Dominus adeo perfecte excolluit, munivit, instruxit ut tandem gravi justoque zelo coram omnibus expostularit; Quid est, quod faciendum erat vineae meae & non feci Esa. 5: 4. Mat. 21: 34.

46. (8). Praxis & experientia quotidiana. Non modo enim nulli vel impij in ecclesia, vel extra Ecclesiam infideles, a praconio verbi excluduntur; quin potius curat Deus omnes in unitatem fidei undecunque iavitari.

47. IV. Ex spontanea quorundam a vera fide defectione. Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt Luc. 8: 13. Qui semel fuerunt illuminati, guſtaverunt etiam donum caeleste & participes facti sunt spiritus Sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi, & prolapsi sunt Hebreo 6: 4. c. 10: 26. Quibus melius fuisset non cognovisse viam justitiae, quam cognita regredi 2. Pet. 2: 21. Quales Iudas Ischariot job. 17: 12 Simon magus Act. 8: 13. &c.

48. Specialis Vocatio tum iudeorum erat tum Gentium, prout nim. aliquando discriminis aliquid inter eos intercedebat.

Quantum ad Iudeos

Nulos ex iis absolutè unquam fuisse destitutos divinâ ad salutem vocatione evincunt:

D 2

I. Fadus

(1.) *Fædus*, eorum præsertim patribus datum & sapius: repetitum req; ipsa præstitum *Abraha.* Gen. 12. & 15. *Iacob* Gen. 26. *Jacobo* c. 28. & in libris Mosis ac Prophetarum passim deprædicatum, de tota eorum generatione in peculium Deo ascita. vid. *Exod.* 19:5. *Deut.* 4:37. c. 7:6. c. 10:15. c. 14:24. c. 26:18. &c.

(2) *Solennis*, multisq; ac magnis stupenda miraculis Educatio, omnium Israclitarum ex Aegypto. *Exod.* 10:9. 24. c. 12:31. 38.

3. *Legumlatio di vina*, etiam severo testamento & pacto mutuo omnes obligans, *Exod.* 19:8. c. 24:3. *Conf.* *Jos.* 24:22. *Ier.* 31:32.

4. (4) *Severa omnium adstricatio atq; invitatio ad legendum*, meditandum & exequendum verbum Dei. *Deute.* 6:6. c. 31:11. 12.

(5.) *Expositatio Dei de omnibus communicata voluntatis tuae notitia* *Deut.* 30:11. *Mich.* 6:8.

(6.) *Prophetarum, piorumq; Ducum & Regum crebra ad illos instrucio*, qui delapsos à vero Dei cultu, admirando zelo, omnes ad frugem iterum revocare, licet frustra saepenumero, conati sunt, uti universa V. T. historia abunde comprobatur.

50. (7) *Mitissima eaq; diligentissima compellatio, etiam pervicacium ac in pervicacia pereuntium.* Qui ad divinam vocem obturarunt corda *Psal.* 95:8,9. *Heb.* 3:7. renuerunt, non adspexerunt: quin despicerunt omne consilium Dei *IProv.* 1:24. & supinâ ingratitudine. *Deut.* 32:5. *Esa.* 1:2. Contumaciaq; inexpugnabili ib. c. 65:2. subsannarunt nuntios Dei, irriferunt sermones ejus, atq; illuserunt Prophetis. 2. *Chron.* 36:15. Imo occiderunt eos *Matt.* 23:37. Spreverunt consilium Dei. *Luc.* 7:30. Semper, restiterunt Spiritui S. *Act.* 7:51. ac repulerunt verbum. *Dkt.* c. 13:46. *Quid interea Deus?* Utinam populus meus: audiaret;

direx me! Ps. 81: 13. Convertimini, Convertimini & vijs vestris
peccatis; Et quare moriemini domus Israel? Ezech. 33: 11. Quo-
ties volui vos congregare & noluistis? Matt. 23: 37. Ergo non
ex defectu vocationis, sed solam imò horrendam ob in-
credulitatem fracti sunt naturales rami Rom. 11: 20.

51. Ad Gentes vero quod attinet, certum est earum de-
plorandam, de facto, fuisse in V. T. conditionem, respectu
Judaorum Psal. 147: 20. Deut. 4: 6. Eph. 2: 12. Non tamen
vel omnes simul, vel ullos in eis, absolute, & omni prossus
vocatione caruisse, sic licet perspicere:

(1.) Quodammodo vocatæ sunt per Legem naturæ, Testimoni-
um conscientiæ, ac Opera Dei illustrissima, Creationis & Provi-
dentiæ, Rom. 1: 19. Et 2: 14., per quæ non sine testimonio semet-
ipsum reliquit Act. 14: 16. Nempe ut ex his invitamentis que-
rerent Deum sicuti invenirent Act. 17: 27, alias forent inexcusa-
biles; Rom. 1: 20. Sed ut constaret, ubi quererent, vocatæ
sunt.

(2.) Per celebritatem Ecclesiæ & splendorem veræ Religio-
nis in V. T. universo mundo illustrem Psal. 65: 4. Hie-
rosolyma enim in ipso terræ Meditullio sita, famam di-
visorum sacrorum, imperiorum, successuum, victoriarum,
in populo Israelitico de se sparsit per omnia mundi regna,
etiam ad remotissimos terræ fines. Vid. 2. Macc. 3: 12. In-
primis singulis quatuor Monarchijs abunde innotuit. Ba-
bylonijs quidem & Persis maximè in captivitate Babylonica,
quos iater, illorum Monarcha Nebucadnezar mirum
in modum tandem Dœi Israelis ecclit. Dan. 4. Horum ple-
riq; non paucæ divinitatis documenta sentere, nec nulla
pietatis edidere, testantibus historijs Esdræ, Nehemias, Est-
heræ. Græcorum Monarcha ipsem in templo Hieroso-
lymitano immolavit Dœ. ex lacerdotis præscripto Joseph.

I. II. Antiq. c. 3. Romani deniq; diu Judæis confæderati internecinum tandem bellum intulerunt. *Id. l. 14. c. 8.*

52. (3.) *Sanctorum quoq; Patrum* veri Dei cultum & promissiones universales sibi tactas spargentium *Peregrinatrices* in Ægypto, Mesopotamia, Babylone, Assyria; Item heroica facinora, fædera, conversatio eorundem, ae insuper *Josephi, Mosis, Davidis, Salomonis, Jonæ, Jeremie, Danielis*, cum præcipuis gentium Regibus & populis, non contemnendam occasionem præbuerunt Ethnicis verum quærendi & cognoscendi Deum.

(4.) *Divina miracula*, quibus immensum nobilitata Juðorum Ecclesia, ut prodigiosa demigratio ex Ægypto, Pharaonis submersio in mari rubro, varia portenta per 40 annos in deserto, immanium plurimarumque gentium consternatio subitaneaq; & saepe conflictu vacua p. obligatio atq; interocio, ac ionumera deniq; alia, quæ postea saepe contigerunt, Ducum, Regum ac Prophetarum seculis, & passim in S. Literis comemorantur, prodigia, quid effecerint, ipse Jehova cum primis in exemplo Pharaonis declarat, quem sic alloquitur: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem potentiam meam* & annunciatetur nomen meum in universa terra. *Exod. 9: 16, Conf. 2, Chron. 32: 31, Esa. 38: 8.* Huc pertinent notabiles confessiones *Caupone Rahab* *Ios. 2: 9, Gibeonitarum ib. c. 9: 9, Reginæ Sabææ 1, Reg. 10: 1. 9, Conf. Mat. 12: 41, Achiori Ammonitæ *Iud. 5: 6.**

53. Ad hæc, ut eò facilius feliciusq; gentes hisce omnibus ad quærendum in Ecclesia Deum manuducerentur

(5.) *Semper aditus in Ecclesiam Iudaicam gentibus patuit*, quod ardenter illima Salomonis templum Hieros. dedicantis oratio pro Alienigenis *I. Reg. 8: 41, conf. c. 9: 3, & 2 Chron. 6: 31, Conf. c. 8: 2.* & Exempla complurium Proselytorum evidentè ostendunt, quales fuerunt *Jobus Idumeus* *Jethro*



Iethro Midianita, Rahab Cananæa, Ruth Moabitæ, Urias Hethita,
Hiram Tyrius, Regina Austræ, Naaman Syrus &c quin & in-
tegri populi Gibeonitæ, Ninevitæ, Assyrij, Persæ, Regum
suorum Nebucadnezaris, Darij, Cyri, Ahasveri, exempla ple-
rumq; fecuti.

45. Accedit (6) Studium Iudeorum in propaganda Religione
sua, qui circumuerunt mare & terram, ut facerent unum pros-
elytum Mat. 23: 15.

Quid quod 7. tempore Christi non modò Judæi amplif-
simo numero sparsi per Asiam, Africam & Europam,
passim suas synagogas inter gentes habuerint, ut præter Acta
Apost. tradunt Philo & præsertim Joseph. Ant. l. 14. c 12. Sed
etiam in ipia Hierosolyma fuerint habitantes viri euλαβηται ex
omni natione qua sub eculo est Act. 2: 5. Adde

(8.) Biblia V. T. fuisse in Græcam conversa lingvam, quæ
telle Cic. in omnibus ferè gentibus tunc temporis legebatur.
Hinc Eunuchus Æthiops, qui Hierosolymam venerat adoratus,
revertebatur sedens in curru suo, legebaturq; Eiam Prophetam Act.
8: 27. Quæ omnia & cætera talia qui sincerè exputat,
stultum oportet esse vel extreñmè malignum, nî abhorreat
absolutum negatæ vocationis decretum.

55. Atq; ita patuit, ut opinor, totius generis humani
ad salutem vocationem cum conjunctim cum sigillatum,
ratione non tantum Judæorum, sed & gentium, conside-
ratam, ex parte Dei fuisse & adhuc esse omnino universa-
lem. Particularem vero fieri non nisi culpâ Diaboli & ho-
minum: Idq; vel per contumacem contemptum Os. 8: 11.
Act. 13: 45. Vel per carnales mundanasq; vanitates Act. 20: 9
Luc. 23: 8. Act. 17: 21. c. 24: 26. Job. 6: 26. c. 5: 44. cap. 12: 43.
Luc. 9: 61. Job. 9: 22. Ezech. 33: 32. Vel etiam per negle-
ctum abusumq; divinitus concessæ occasionis & manedu-
ctionis, quarendi salutarem verbi divini lucem Rom. 1: 21.

23:25. Vel per divinam præscientiam infrugiferæ prædicationis Act. 16:6. Vel deniq; alias ob causas nobis quidem ignotas, nequaquam tamen injustas aut verbo revelato contrarias. Alioquin hominibus omnis solida consolatio præcisa fuisset.

56. Et hæc quoq; veteri Ecclesiæ fuit sententia, cuius rotundi interpres sunt Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Eusebius.

Nec contemnendus est cordatiorum ex adversarijs Consensus, sive invitatis expressus, sive elicitus inopinantibus. Quos inter Hemmingius iterum, Remonstrantes Coll. Haz. p. 93. 179. 180. qui secum laudant Bullingerum, Musculum, & Paracump. 182. Item Crocius Synt. p. 973. Huc itidem compellans Calvinum p. 1020.

Notæ contra Strophas Antitheseos.

57. 1. Vocatio consideratur vel Simpliciter ex parte Dei. Quâ ratione dicitur omnes vocare Act. 17. vel conjunctim ex parte Dei vocantis & hominum obsequentium simul, ut Rom. 8:30.

2. Aliud est loqui de ipsa vocatione. & aliud de vocationis Modo. omnes ad Ecclesiæ consortium vocati sunt, sed non omnes eodem modo. Quidam in majoribus acceperunt verbum Amos 8:11. Mat. 23:39. Quibusdam reapse sonuit. Quibusdam illustrior; obscurior alijs obtigit vocatio.

3. Quod Comparatè & secundum Quid dictum est ut Ps. 147:20. accipio non debet Absolutè.

4. Vocatio Retardata non est statim absolutè Negata Mat. 10:5 Job 16:6.

5. Quod verbi prædicatio nonnullis cedat ad indurationem ac damnationis augmentum, Vocationi per accidentem advenit, & consequenti duntaxat seu judiciariæ Dei



Dei voluntati debet tribui, qua praefractam hominum
contumaciam punit.

6. Distingvendum est inter Media vocationis ordinaria, quæ Sodomitis, Tyrijs & Sidonijs haud defuerunt & Extraordinaria, quale tuit miraculorum copia, urbibus Galliarum præsertim exhibita. Mat. 11.

7. Distinctiones vocationis in Efficacem & Inefficacem, Internam & Externam, Generalem & Specialem, & cæteræ ejusmodi, prout ab adversarijs adhibentur & causam inefficaciæ non in hominibus, sed nudo Dei beneplacito decretoq; ponunt, ori divino impudenter opponuntur. Analogiam fidei impiè convellunt, Deum illusorem hypocritamq; hominibus blasphemè statuunt, promissionum divinarum fidem evacuant, omne spei consolationisq; fundamentū subvertunt ac desperationi portam aperiunt patentissimam. Vid. Rom. 10: 17. c. 1: 16. 1. Pet. 1: 23. 2. Cor. 3: 8. Mat. 10: 20. 1. Thes. 1: 5. Heb. 4: 12. Jac. 1: 21. & Conf. Num. 23: 19. Psal. 33: 4. & 5: 7. Job. 17: 17.

8. Scriptura designat quatuor vocatorum ordines. Nam alios appellat κανόνης Mat. 22: 3. Alios etiam κλητές Heb. 9: 15. Mat. 20: 22. Alios amplius ad hoc πεστοί; Alios deniq; κλητές καὶ προθετοί. Rom. 8: 28. Utpote qui soli divinæ προθέσεως finem assequuntur, qui est æterna gloria.

9. Vis divinæ vocationis, qua homines ad Deum convertuntur, et si potentiam finitam longissimè superet; juxta ordinarium tamen divinæ operationis modum, quo non constituit violenter homines ad salutem rapere, non ita irresistibilis est quin homo possit Deo sufficientibus omnino medijs vocanti trahentiq; per contumaciam reludiari. Vid. Prov. 1: 24. Ezech. 12: 2. Mateb. 23: 37. Luc. 7: 30. Act. 7: 51. Quod nec difficitur Crocius Synt. p. 975.

E

Con-

Consectaria Theologica & Uſus.

¶ 58. Atq; ita per Dei gratiam vidimus Causas Mediaq; ſalutis ex parte Dei omnino eſſe Universalia, idq; ſperamus invictis eſſe argumentis confirmatum, eā quidem, qua fieri potuit, brevitate, in tam ardua tantiq; ponderis materia. Quibus fulcris, firmiter ſuperstructis ſuper funda-
mentum Prophetarum & Apostolorum aliorumq; infalli-
bilis veritatis κρίνη, ſtantibus, inter alia, hæc ſuamet
ſpontè ſequuntur *Conſectaria*:

I. Corruie planeq; in ventos abit *absolutum illud, fatale,*
& omnes causas secundas ordine quoq; antegressum Dei decretum,
quo paucos tantum homines ad ſalutem; Maximam vero partem
ad aeternam damnationem, ſine omni fidei vel infidelitate, obedien-
tia vel inobedientia reſpectu, ex mero ſuo beneplacito immutabili-
ter prædeſtinari: temerarium nimis, impium ac blaſphemum
totius Calvinisticae Theologiae Principium. Nam ſi Deo
omnes in Adamo ad aeternam beatitudinem, ſufficientibus
perſiſtendi donis iuſtructos creavit; ſi omnium post lapſum
miſeritus eſt, omnesq; ſine delectu dilexit; Si filius Dei
Christus Iesu ex consilio patris ſuoq; ipſius iuſtituto ple-
nâ ſatisfactione omnes redemit; ſi deniq; per ſufficientia
atq; ex te aequè efficacia media omnes homines, reprobi jux-
ta ac electi ad ſalutis beneficia fide accipienda vocantur;
uti conſidimus hac diſertatiuncula ſatis evictum eſſe: Sa-
nè liq; do in aeternum conſtat Decretum illud fictum eſſe,
vanum, blaſphemum, à Deo alieniſſimum, tot q; ejus in fal-
libili verbo & universæ circa homines praxi, imò manife-
ſta experientia penitus contrarium, ac de niq; pronum ho-
mini-

minibus, hinc in securitatis; illinc in desperationis barathrum pleno imperu præcipitandis.

63. II. Patescit hinc, quid sentiendum sit de illo Adversorum specioso obtentu, quo perhibent à nobis sese non dissentire in Fundamento fidei. vid. Paræ Iren. c. 12. § 13. Anonym. de Christiana Tolerant. Sect. 3. c. 2. Tum & deinde quæ spes esse possit cordatis, ac debeat quidem, de Consortio Religionis Nos inter & illos incundo, de quo ipsi tantopere sibi laborandum duxerunt.

Etenim cum tria illa haec tenus tractata Dei Beneficia constituant proximum atq; adæquatum concipiendæ fidei salutis sperandæ fundamentum, idq; tum *Dogmaticum* tom *Organicum*; In quorum utroq; fortiter à nobis, uti visum est, dissentunt, ac utrumq; publica sua & pertinaci doctrina evertunt, fideiq; generanda: ac saluti superstruendæ reddunt prorsus ineptum, ut cæteras taceam, quibus salutis cardinem petunt, hæreses: vel hinc cuivis proclive est colligere, & vanum esse, quem jactant, fundamentalem nobiscum consensum, & eos non debere indignè ferre (multo minus inhumanitatis, pugnandi libidinis, aliorumvè crimini) Theologos nostros postulare, uti immerito sæpe factum est, ea de causa) quod pacem Religionis cum illis, illata veritate cælesti, tranquillitate ac salute Ecclesiæ Dei, zelo pietatis ac bona conscientia, prius haudquam possumus sancire, quam palèm evidenter ac infucatum monstrarint suum nobiscum in omnibus Articulis fidei fundamentalibus contentum. Veritatem enim peræquè ac pacem amari jussit Iehova Exercitum Zech. 8:19.

60. Usus tandem hojus tractationis iam restat indigendus, sed obiter. Est ille 1. Ad Didacham de immensa atq; ineffabili Dei misericordia Eph. 2:4. 1. job. 4: 9. Rom. 5: 10. Sui petit etiam hinc solidum fundamentum ortho-


**doxa Doctrinæ de Conversione, Justificatione, aliisq; fidei
Articulis.**

2. Ad *παρεκκλησιαν* de gratitudine, obsequio, Reverentia
Deo ob tanta beneficia libenter ac sedulo præstand s & h.
I: 3. Col. 1: 12. 13. 14. Deq; vitanda securitate ac fastu Pha-
risaico Rom. 11: 18. 21.

3. Ad *ἐπιμόρθωσιν*. Nè divitias divinæ bonitatis, pa-
tientiæ ac longanimitatis contemnamus Rom. 2: 4. Ied ut
cognoscamus tempus visitationis nostræ Luc. 19: 44. Idq;
cum timore & tremore Phil. 2: 12.

4. Ad *παρεκκλησιν*, contra dubitationem desperatio-
nemq; in tentationibus. Qvæ enim major excogitari po-
test, aut esse consolatio, quam quod licetiamus Deum Patrem
omnes homines summè diligere omniumq; salutem ex-
petere, expectare; Deum Filium omnes perfectè redemisse;
& Deum Spiritum S. omnes fieri ad acceptanda hæc salu-
tifica beneficia vocare? Quid igitur dicemus ad hæc? si
Deus pro nobis quis contra nos? is quidem qui proprio filio non pe-
percit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam
cum ei nobis omnia donabit? Rom. 8: 31. Quanta fidei est an-
chora, unumquemq; dicere posse: Christus Filius Dei dilexit
me & tradidit semetipsum pro me Gal. 2: 20. Cum dixerit
idem ipse Episcopus animarum & Princeps ille pastorum 1. Pet.
2: 25. c. 5: 4. oves meæ non peribunt in æternum, neq; rapiet eas
quisquam à manu mea Job. 10: 28. Nihil ergo debet homini
ad fidem, ad salutem consequendam? Nihil. Modò non i-
pse sibi. Sed

GLORIA sit Patri, sit Nato GLORIA, Sancto
GLORIA Spiritui, Trino sit GLORIA Jova;
Qui Nos Dilexit, Reparavit, & Acciit OMNES.



Ad
E Venerabilem & Clarissimum Virum,,
M. ERICUM ODHELIUM
Fac. Theologicae in Regia hac Acad. Adjun-
ctum maxime industrium, S.S. Theol.
Studiosum Præstantissimum, Ami-
cum singularem.

Æternæ monstras Fundamina vera salutis
ODHELI calamo, tum quoq; voce piâ.
Atq; Hostes sternis Calvos penetrante sagittâ
Cælestis pharetræ, dulcis amice mihi.
Gratulor ingenij dotes & munera mentis,
Queis tibi iam verbi res sacrosancta Dei
Cognita præclarè. Commisso perge talento
Mercari: studium provehet omne tuum
Altitonans, proprias in laudes! hinc patriæq;
Commoda multa feres, nobile lumen eris.

Amoris, Honoris & Gratulationis
Monumentum
F.
PRÆSES.

A L I U D.

Continuò virtus præclara, Magister ERICE
ODHELI, stadijs est Cynosura tuis.

Post ea quæ Sophiæ Proceres monumenta dedere,

Post lingvas varias, queis datur amplius honos;

Numinis ætherei Tabulas versare sacratas

Affiduè svevit pulcra juventa tua.

Hinc monstras solidè quæ sic via recta salutis;

Quæ quoq; Calvini perniciosa lues.

Proditur inde labor, doctrina, & mentis acumen,

Sancta fides, pietas, religionis amor.

Est igitur fructus, ceu messem messor ab arvis,

Quem repetes meritò: gloria, fama, decus.

Pauca loquor, mentis tamen hæc sunt signa fidelis.

Flore, vive, vige! maecte labore. Vale.

Honoris & applausus ergò scripsit

JOHANNES BRODINUS

S. R. M:ris alumnus

Theolog. Studiosus.

os(O)so



Inhousef. 3

VD.AZ.

D:



DISPUTATIO THEOLOGICA
De
Tribus Universalibus

OMINUM

AUSIS:

ONE,

IONE, &

NE;

um Decreto

A;

ate Upsaliensi,

AMINE

recessentissimi Viri

STIGZELII

Eximij, ejudemq; Pro-
nioris & p. t. Decani;

& Pastoris Graviss.

plurimum

; *litteræ ac piæ Collationi*

ITA—

Ab

ERIC O H. ODHE LIO

Rev:da Facult. Theol. Adjuncto.

In Auditorio Veteri ad d. 1. Decemb. Anni 1648.

UP SALIÆ,
Imprimebat Eschillus MATTHIE.

x-rite

colorchecker CLASSIC

